



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 33. De Conuersione Magdalenæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)



MEDITATIO XXXIII.  
DE CONVERSIONE  
MAGDALENÆ.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Christo accumbente in domo Pharisæi* *Luc. 7.*  
*Magdalena peccatrix cum vnguento*  
*est ingressa.*
- II. *Stans retro, cæpit pedes eius ri-*  
*gare lachrymis &c.*
- III. *Contemptam à superbo Pharisæo*  
*defendit Christus & ipsi peccata re-*  
*mittit.*

---

F I G V R A.

**M**Vlier Sunamitis mortuo suo filio, *4. Reg. 4*  
abijt quæsitum Prophetam Helizeū,  
& prostrata ante illum apprehendit pe-  
des eius amarissimè plorans, nec di-  
mittere voluit, nisi secum iret ad resusci-  
tandum filium.

---

P R O P H E T I Æ.

1. **I**N caritate perpetua dilexi te, ideo at- *Iere. 31.*  
*traxi te miserans.*
2. *Postquam cõuertisti me, egi panitentiam, Ibid.*  
*& postquam ostendisti mihi, percussi femur*  
*meum*

meum, confusus sum & erubui, quoniam  
sustinui opprobrium adolescentia mea.

*Esai. 27.* 3. Mediata est in spiritu suo per diem & stus,  
idcirco super hoc dimittetur iniquitas do-  
mni Iacob: & iste omnis fructus, ut aufera-  
tur peccatum eius, cum posuerit omnes lapi-  
des altaris, sicut lapides cineris allisos, non  
stabunt luci & delubra.

*Psal. 44.* 4. Dilexisti iustitiam & odisti iniquita-  
tem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo  
laetitiae.

*Psal. 121.* 5. Qui seminant in lachrymis, in exultatio-  
ne metent.

---

DOCUMENTA.

1. **P**ER pedes Domini designantur paupe-  
res, qui sunt quasi infima pars sui cor-  
poris mystici. Itaque peccator si velit  
obtinere peccatorum suorum veniam, adiun-  
gere se debet ad hos pedes, visitando illos, &  
cognoscendo eorum necessitates, rigare debet  
lachrymis, miserando eorum arumnas: tergere  
capillis, suis bonis temporalibus subuenien-  
do & pedes osculari, signa benevolentiae &  
humanitatis demonstrando, quando in suis  
necessitatibus ad eum recurrunt. Deniq; de-  
bet unguento ungere, confortando & conso-  
lando illos in suis calamitatibus.

2. Tunc exemplo poenitentis Magdalena,  
proximi sumus pedibus Domini, quando per  
veram poenitentiam conuersi insistimus eius  
vestigijs, quibus ante eramus contrarij, cum  
non viam Christi, sed mundi teneremus: tunc  
sacram eius corpus inungimus, cum sancte vi-  
uendo

uendo odore virtutum nostrarum bonum exemplum damus fidelibus, & Ecclesiæ, quæ est corpus Christi mysticum.

3. Ab hoc Magdalena facto omnis peccator fumere debet formam agendæ pœnitentiæ. Nam sicut illa peccando Deum offendit oculis, capillis, manibus, ore, & vanis corporis odoribus, conuersa vero oculis lachrymauit, capillis pedes Christi terfit, in manibus mundaui, ore deosculata est, & odori fero vnguento tinxit; Sic peccator, sicut Deum offendit culpa, ita conciliare eum debet contraria pœna, exercendo se in ijs virtutibus, quæ repugnât vitijs à se commissis: mediaque omnia, quibus male vsus est ad irritandum Deum, conuertere in totidem media virtuti consentanea ad Dei cultum & gloriam.

4. Christus non solum benignè suscepit hanc peccatricem, sed passus est etiam, vt faceret, quicquid vellet: ad dandum nobis exemplum, ne duri & asperi in peccantes simus, sed potius clementes & misericordes. compatendo eorum fragilitati, vt hac ratione suauiter pertrahantur ad Christum, nec veniant in desperationem; Si enim nos ipsos confiderauerimus, intelligemus facile & nos in similes aliquando calamitates incidisse, aut certè cadere aliquando posse.


5. Christus Pharisæum, à quo erat inuitatus arguit de tribus defectibus. Primò, quod pedes suos ex itinere lassos non lauisset. Secundo, quia osculum amicitiae symbolum non dedisset. Tertio, quod caput oleo non unxisset, vt significaret ad hospitalitatem requirere tres condiciones. Primò misericordiam, lotionis pedum significatam. Secundo charitatem, significatam osculo, quod est signum amoris.

Tertio

Tertiò, iucūdā tractationē, qua hōspites sūt recipiēdi, significatā oleo, quo caput inungitur.

6. Hoc Magdalenaē factō, vt quod tanta existens peccatrix misericordiam consecuta sit, & non solum peccata ei condonata sint, sed etiam ad tantam sanctitatis perfectionem ascenderit, vt aequata sit Apostolis, Deus indicare voluit, nullum peccatorem quantumuis maximum debere desperare, cum fieri possit, si sibi deesse nolit, vt multos alios sanctos, non aquet solum, sed etiam superet. Contra pij & sancti non debent nimium sibi confidere, quia si segnes sint, fieri potest, vt publicani & meretrices eos pręueniāt ad regnū cęlorū.

7. Magdalenam licet peccatricem non puduit quærere Christum in domo Pharisei, & in pręsentia omnium conuiuiarum se humiliare & ad pedes eius lachrymari: sic nos, quando lapsi sumus in aliquod peccatum, pudere non debet, medicum spirituales adire, & nostra errata ei aperire, multo verò minus, propter hominem dicta, opera satisfactoria pro peccatis, negligere: nam si homines calumniantur, laudabimur cum Magdalena à Christo, & in omnium Angelorum pręsentia aliquando in cęlo ab eodem honorati imur.



## MEDITATIO XXXIV. DE MULIERE QUAE

B. VIRG. COLLAUDAUIT.

PVNCTA MEDITATIONIS.

*Matt.*

*12.*

*Marc. 3,*

*Luc. 11.*

*I. Christo concionante, extollens mulier  
vocem dixit: BEATVS VENTER,  
qui te portauit & vbera &c.*

*II. Cui*